



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

5. Solutiones adversariorum resutantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

95 Contra 2. Nam vel hæc capitas proxima; quam petunt aduersarij, est obiectiva tantum, & sic non est extra latitudinem entis in potentia, nec est realitas actus, producta ac proinde non est actualis absolute; vel est capacitas subiectiva fundata in aliqua entitate actuali, iam producta, & sic necesse est, ut illa entitas, in qua fundatur, habeat aliquod esse intrinsecum nouum, & productum, quod necesse est ex vi productionis, sit esse existentia, cum ex vi productionis sit esse actuale fluens, manans, & egrediens à causis, & extra illas, ut supra probaui: ergo talis entitas non constituitur per capacitem existentia, sed intrinsece per existentiam ipsam, quia sola illa est actualitas simpliciter.

96 Imo potius si res iam habet hoc esse actualis entitatis non intelligitur quomodo sit in potentia, vel capacitate, ut vltimus terminetur per existentiam, sed recte intelligitur esse in potentia, ut terminetur per inhaerentiam, vel per subsistentiam, nam ut recte asserunt D. Augustinus. lib. 1. de Genes. ad lit. Anselmus in prolog. Damascenus. lib. 5. cap. 3. Subsistentia est modus existentia.

97 Vnde etiam obiter intelligitur, essentiam non vere neque proprie comparari ad existentiam per modum subiecti, vel potentia receptiua, quia in subiecto, vel potentia recipiente, necesse est præintelligi actualitatem, ut possit alium actum suscipere; ipsi vero existentia nulla actualitas, seu actualis entitas supponitur, sed per illam intime, & formaliter constituitur; & eadem ratione obiter colligitur, essentiam non comparari ad existentiam per modum principij effectiui, neque per propriam actionem, neque per naturalem resultantiam, quia in omni principio effectiui supponi debet aliquod actuale esse, ut ab illo possit aliquid fieri, vel manare; quod enim actualiter nihil est nullo modo potest aliquid deficere, ac vero essentia ut præintelligitur existentia non est actualis entitas, sed in potentia tantum, nihil ergo potest efficere, nisi prius per ipsam existentiam constituitur in esse actualis entitatis: ergo impossibile est, ut sit principium efficiens ipsam existentiam: tunc sic; humanitas Christi Domini propter distinguitur à Verbo, & propter dicit actualitatem essentia terminat actionem Dei, quæ fluxus est ab agente, & egressus à virtute causæ: ergo ex vi illius talis actualitas essentia egreditur ex virtute causarum: ergo est extra causas: ergo est actualitas existentia.

SUBSECTIO. V.
Solutioes Adversariorum refutantur.

98 Respondent aliqui essentiam rei actualem neque actu produci, neque actu extrahi à potentialitate causarum, ac proinde actualem essentiam propter distinguitur ab existentia esse improductam, increatam, & independentem; ac per consequens non esse in tempore actualem essentiam, sed ab æterno; dum autem opponitur: ergo essentia illa non est creatura, sed Deus; respondent, essentiam actualem esse creaturam, non quia ipsa essentia creetur, sed quia creatur existentia ipsius; ponunt exemplum in Deo, qui dicitur Deus, & non creatura, quia habet existentiam increatam; vnde si per impossibile Deus haberet existentiam creatam, non esset Deus sed creatura.

99 Sed contra manifeste; nam hæc solutio plura continet intolerabilia; nam ex illa manifeste sequitur, humanitatem Christi Domini esse Deum, & minimum actu non esse creaturam; primum sic patet, quia humanitas Christi actu habet existentiam increatam, quia existit existentia Verbi: ergo si id, quod habet existentiam increatam & divinam est

I. P. Tom. II.

Deus, sine dubio humanitas Christi Domini non erit creatura, sed Deus; secundum sic patet: quia humanitas Christi non est creata, neque secundum actualem essentiam, neque secundum actualem existentiam: ergo de facto humanitas Christi Domini non est creatura, neque natura creata, sed hoc est hæreticum, cuius oppositum definitum est in Concilio Ephesino 1. & Calcedonensi. præsertim actione 5. in 2. fidei definitione, & in 6. Synodo generali actione 11. & 13. & in Synodo 5. præsertim actione 1. & collat. 8. can. 3. & Lateranensi sub Martino 1. consultat. 5. à Canon. 4. & que ad. 9. & in Lateranensi sub Innocentio 1. quod habetur in capite Firmiter de Summa Trinitate, & fide catholica, & in Florent. in literis unionis, & in Toletano. 45. & 11. & in Hispalensi. 11. cap. 13. vbi plura Scripturæ testimonia congruuntur & optime ex Leone Papa epist. 10. ad Flavianum, & recipitur tamquam dogma fidei in edicto Iustiniani Imperatoris; in quibus omnibus Concilijs anathematizatur hæresis asserens in Christo Domino, dari solum vnā naturam, & hanc increatam, ac proinde definitur in Christo Domino post incarnationem duas permansisse naturas integras, & inconfusas, divinam videlicet, & humanam, increatam, & creatam, ratione cuius dicitur Christus in Symbolo Athanasij æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, quia secundum humanitatem est creatura: propter quod dicebat ipse Pater maior me est; & in cruce loquens cum Patre dicebat, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti. Vbi fateretur Patrem esse Deum sui, quod non potest intelligi, nisi Christus sit creatura secundum aliquid sui, quia Deus est talis respectu creaturæ, sed non est creatura secundum divinitatem: ergo est creatura secundum humanitatem, ratione cuius dicebat Paulus 1. ad Corinth. 3. omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei; nam Christus Dei esse dicitur; quia Deus in suum honorem ipsum fecit Christum, & humanitatem eius vtpote creaturam creauit, ut Paulus ait ad Hebræ. 3. & Petrus. 1. canonica cap. 3. quibus alludit illud illud Christi Ioann. 2. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; supra quæ ait Rupertus. lib. 14. in Ioan. Deus meus est, inquit, quia creaturam eius, id est humanitatem assumpsit; Deus autem illorum est, quia non aliud, quam homines sunt, & Cyrillus. lib. 12. in Ioan. cap. 51. vbi eadem verba tractans inter alia inquit; quamvis Dei secundum naturam sit filius, Deum tamen suum nuncupavit, ut quemadmodum nos ad supernatorem dignitatem per ipsam ascendimus; sic & ipse quoniam homo factus est, Deum nostrum in Deum suum habet; quia secundum humanitatem creatura est: ergo secundum fidem catholicam humanitas Christi Domini est creata à Deo, quia creatura Dei, & nihilominus habet existentiam divinam: ergo falsum est dicere quod res dicatur creatura, vel Deus propter existentiam creatam, vel divinam, quia divina existentia non mutat essentia creaturæ, sed potius relinquit humanitatem in esse essentia creatæ: ergo essentialiter est creatura ab actuali essentia, quando actualis essentia producit, & creatur à Deo. Vnde & contra si essentia ipsa actualis sit improducta, increata, & im- participata, & independentens, erit sine dubio Deus essentialiter, neque ab hac denominatione essentiali potest extrahi per solam existentia distinctam à tali essentia.

Exemplis demonstratur hoc: nam in sententia Thomistarum existentia, quæ habet Petrus, & haberet humanitas Christi, si non assumeretur à Verbo, esset accidens, vel modus & ratione talis accidens, vel modi non denominatur Petrus accidens, aut modus, sed potius essentialiter, & absolute denominatur

substantia realis eo quod essentia actualis est substantia realis; item si humanitas Petri vniueretur equinae essentiae, & substantiae, aut lapidi, aut Angelo essentialiter, & absolute non diceretur equus, Angelus, aut lapis, sed potius diceretur essentialiter homo tale compositum, quia essentia illius esset essentia hominis: ergo essentialis denominatio humanitatis non mutatur propter existentiam alienam, neque propter existentiam propriam modalem, & accidentalem; unde humanitas Christi in praesenti non dicitur Deus sed creatura, & de factio non diceretur accedens, aut modus, licet de factio existentia illius sit Deus, & de possibili existentia illius esset accedens, & modus; sed per vos actualis essentia humanitatis Christi quatenus distinguitur à propria existentia, quam non habet non terminat creationem, aut productionem divinam, neque ipsa in se potest terminare illam, quia ex se, & in se est improducta, increata, independens, & imparticipata: ergo humanitas Christi Domini licet de possibili haberet existentiam creatam, quia illa distingueretur ab humanitate, & esset accessorius, seu secundarius conceptus illius, non denominaretur creatura, & de factio, quia neque in se, neque in existentia, quam habet, est creatura, nullo modo poterit denominari talis, sed potius debet denominari essentialiter & existentialiter Deus, unde Christus Dominus nullo modo erit minor Patre secundum humanitatem, sed in totum erit aequalis Patri; quae omnia sunt absurda haeretica.

101 Praesertim, quia eo modo est existentia debita essentiae quo est essentia actualis; unde quia Deus essentialiter est independens, existentia illius est independens, & increata, & quia tenebrae habent essentiam negativam, existentia illis proportionata est negativa; sicut quia arbor habet essentiam positivam naturalem, existentia illius est positiva naturalis, neque potest esse negativa, aut supernaturalis, & propter eandem rationem, quia essentia unionis hypostaticae, gratiae, & visionis beatificae est supernaturalis, existentia est etiam supernaturalis; sed essentia humanitatis actualis est increata, imparticipata, & independens: ergo existentia illi debita est imparticipata, increata, independens; ergo humanitas nullo modo potest dici creatura in vestra sententia, neque ratione actualitatis essentiae, neque ratione actualitatis existentiae: ergo absolute est Deus, quod est haeticum, ut patet ex dictis: ergo si humanitas Christi Domini est creatura, non solum erit producta secundum existentiam, sed etiam à fortiori secundum actualitatem essentiae; ita ut terminet intrinsecè, & afficiatur intrinsecè, ac constituatur ab actione, & productione divina in eo esse concretivè, quod habet in abstracto ipsa actio Dei, & sic debet constitui producta, creata, & dependens, sed actio, & productio Dei est etiam fluxus emanatio; & egressus à causa & à virtute causae: ergo ex vi talis actionis essentia actualis humanitatis fluit ab omnipotentia veluti à sua causa, emanat ab illa, & egreditur ab eadem; sed quidquid egreditur ab aliquo, est extra illud, à quo egreditur ut patet ex exemplis supra adductis: ergo actualis essentia humanitatis est extra causas ex vi actionis, qua produciuntur.

102 Confirmatur, quia Beata Virgo est vera Mater Christi secundum fidem, ut definitum est in Concilio Ephes. & Chalcedon. & in sexta Synodo. actione 4. & 11. secundum illud Iohannis 2. Et erat Mater Iesu ibi: & Luca 1. Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me: ergo Beata Virgo fuit vera causa physica humanitatis Christi producendo ipsam humanitatem, media enim generatione ex Virgine Matre ab Abraham, & David descendit, & ideo dicitur filius David, filius Abraham; unde Isaia 11. dicitur. Egredietur

virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: sicut ergo flos verè produciuntur ab arbore, ita Christus à Virgine secundum humanitatem, ut notant Hieronymus ibi, & Leo Papa serm. 4. de Nativitate. Ambrosius lib. de benedict. Patriarch. cap. 4. & lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 5. Augustinus serm. 3. de tempore. Chrysost. in Psalm. 22. Origenes homil. 12. in Lehyt. Textul lib. 5. contra Marcionem. cap. 8. & lib. contra Iudeos. cap. 9. Rupertus Abbas lib. 2. in Isaia. cap. 6. & lib. 11. de viis. Verbi. cap. 28. & 52. atque eandem vim habet hoc testimonium, etiam si per virgam Christum intelligamus, ut intellexit Clemens Alexand. lib. 1. Pedagog. cap. 9. & Chrysost. hom. 30. in Matth. Origen. homil. 9. in Numeros. Hylarius Psalm. 2. circa illa verba, Reges eos in virga ferrea, Ambrosius serm. 54. & Cyrillus in Isaia; eandem inquam, vim habet, quia Christus non fuit de radice Iesu, nisi mediante Virgine, quod aperte docet Scriptura, nam ad Gala. 4. Christus hoc sensu dicitur factus ex muliere; & ad Roman. 1. dicitur factus ex semine David secundum carnem; & Luca 1. quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei; vocabitur, inquit, non falsa appellatione, sed vera, & non solum post natiuitatem ex vero, sed in ipsam conceptionem in vero, de qua Angelus loquebatur, rationem reddens, quare Spiritus Sancti virtute esset efficienda, quia nimirum Christus producendus, & concipiendus erat à Virgine, ut notavit Cyrillus. Alexand. lib. de Incarnat. Christi, & lib. de fide ad Romanos, citans Athanasium lib. de Incarnat. & hoc etiam confirmat locus Isaia, cap. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus; unde Gregorius lib. 9. registri. epist. 61. Eadem, inquit, Virgo, & ancilla Domini dicitur, & mater, ancilla enim Domini, quia Verbum ante saecula, unigenitus aequalis est Patri, Mater vero quia in eius visceribus ex Sancto Spiritu eiusque carne factus est homo, quia non prius in utero Virginis caro concepta, & producta est, & postmodum Verbum factum est caro; & eodem modo loquuntur omnes alij antiqui Patres, ratione cuius canit Ecclesia in officio parvo Beatae Virginis genitricis, qui te fecit, & in aeternum permanes Virgo: & passim in orationibus festivitatum Beatae Virginis nominat eam Dei genitricem, hoc est generantem Deum, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem; atqui generatio est vera productio, & vera causalitas: ergo Beata Virgo verè produxit, & causavit aliquid actu in humanitate Christi Domini; sed non est in humanitate Christi Domini actualitas existentiae per vos, quae possit produci à Virgine, quia existentia humanitatis est existentia divina Verbi, ac proinde est improducibilis à Beata Virgine: ergo quod productum est in humanitate Christi, est actualitas essentiae illius: ergo actualitas essentiae ex vi talis actionis est extra causas: ergo est existens: ergo ipsa actualitas essentiae erit actualitas existentiae, unde ex vi huius argumenti dicendum est, humanitatem Christi non existeret existentia Verbi, sed potius existentia propria, quae simul sit existentia & actualitas essentiae, alias gravissimum inconueniens sequeretur contra vos, quia si humanitas Christi existit per incretam existentiam, sequitur, unionem Incarnationis factam esse immediatè in aliquo essentiali, quod est omnino falsum, & aperte damnatum à fide catholica; sequela patet, quia esse existentia in Deo est esse absolute & essentialiter, ut cū D. Thoma 3. p. q. 17. art. 2. ad 3. docent omnes Thomistae, ex quo ulterius sequitur, hanc unionem factam esse in natura, quia compositio in esse, & essentia est compositio vnius naturae existentis &c.

Dicunt

103 Dicunt Adversarij B. Virginem non produxisse humanitatem, quia non est causa efficiens, sed solum esse causam materialem.

104 Sed contra hanc solutionem 1. insurgunt omnia quæ posuimus lib. de generat. quæst. vtrum femina concurrat actiue? ubi late probauimus, B. Virginem verè actiue concurrissè ad productionem humanitatis Christi. Deinde 2. quia non potest negari articulus de fide; humanitatem Christi Domini factam fuisse cooperante Spiritu sancto, vera productione; atqui cooperatio vnus non potest dari sine operatione alterius, quia cooperatio est coexistentia duorum operandum, vnde quando dicimus, Deum concurrere cum creaturis necessario inuoluimus operationem creaturæ, quare sicut non potest ex vi vnus existentis dici coexistentia, nisi duo existant simul, sicut non possumus dicere, commotionem, nisi duorum motionem, & compassionem nisi duorum passionem, & ideo aiebat Paulus & si comparimur, & conglorificemur; ita similiter, non potest cooperatio Spiritus sancti vere intelligi sine operatione alterius simul cum ipso circa Christum vt hominem, sed non est alius, qui possit cooperari cum Spiritu sancto humanitatem Christi; nisi Beata Virgo; ergo B. Virgo vere cooperata est humanitatem ea proprietate, qua Spiritus sanctus operatus est eandem Christi humanitatem, nam eadem phrasi & modo loquendi significatur eque operatio Spiritus sancti, & B. Virginis; sed operatio Spiritus sancti non est impropria, neque materialis, sed propriissima: ergo similiter operatio Virginis circa humanitatem est propriissima operatio, alias eodem nomine cooperationis absolute non significaretur productio Virginis & Spiritus sancti, sicut v. g. si nulla creatura vere produceret & causaret actiue, nullo modo posset dici, Deum concurrere cum creaturis, sed solum diceretur, Deus produci, sicut in proprietate, aut cum illa non potest dici, Philippum quartum conregnare, sed solum dicitur proprie regnare, quia non est alius qui vere regat, & gubernet potestate suprema, & regia cum Philippo quarto: ergo si absolute verificatur secundum fidem nostram Spiritum Sanctum cooperatum fuisse humanitatem Christi cum B. Virgine: ergo B. Virgo vere operata est simul cum Spiritu sancto humanitatem Christi: ergo in humanitate Christi, vt distinguitur illa ab existentia Verbi ex vi talis operationis Virginis positum aliquid est extra causas, sed non est in humanitate Christi aliquid quod possit poni extra causas à Virgine, nisi essentia actualis humanitatis: ergo illa est extra causas, ita vt actio Virginis sit constitutio in genere causæ efficientis illius essentia extra causas, & actualitas illa terminans actionem sit constitutio in genere causæ formalis illius essentia extra causas, quia vt supra probauimus, terminus actionis extrahentis extra causas est extractio formalis, sed extractio formalis vel actualitas extrahens est existentia formaliter creata: ergo actualitas essentia est ipsa actualitas existentia.

105 Dices B. Virginem ideo dici causam, matrem, & generantem, non quia produxerit humanitatem, sed quia physice attigerit vnionem hypostaticam.

106 Sed contra manifeste; quia articulus de fide non dependet ab opinione; atqui opinio est, & minus probabilis B. Virginem physice attigisse vnionem hypostaticam, & quod Virgo sit vera mater Dei, & quod generet Christum, concipiat & pariat ipsum, est articulus de fide certissimus: ergo nullo modo potest dici, B. Virginem ideo esse genitricem Christi, matrem eius, cooperantem cum Spiritu Sancto, quod produxerit physice vnionem hypostaticam,

cum hoc tantum sit probabile, & illud certissimum; imo probabilius est B. Virginem non produxisse physice talem vnionem, vt late tractat P. Franciscus Suares. tom. 1. in. 3. p. disp. 10. sect. 1. à 8. de ipsa autem Virgine, vsque ad 8. dixi semper, exclusiue.

Declaratur hoc, quia v. g. articulus de fide 107 quod in Christo detur vnio hypostatica, non dependet ab opinione probabili, videlicet, quod talis vnio distingatur, vel non distingatur ab humanitate, vnde male assereret, qui doceret, ideo dari vnionem hypostaticam in humanitate Christi, quia vnio hypostatica nihil est distinctum ab humanitate, & Verbo, quia hæc est opinio, illa veritas de fide, illa certissima, infallibilis, quæ non potest subesse falso, hæc forte falsa sententia; ergo similiter non potest dici, ideo B. Virginem esse Matrem Dei, quia produxit physice vnionem hypostaticam, cum illud sit certissimum, & infallibile, hoc vero fallibile.

Deinde, quia demus B. Virginem nullo modo 108 actiue concurrissè ad humanitatem Christi, nihilominus non potest negari, concepissè Christum secundum humanitatem, & aliquomodo causasse humanitatem, quia maternitas fundatur in causalitate, quia est relatio siue realis, siue rationis causæ ad effectum, vnde saltem erit causa materialis humanitatis Christi: quod nullus vnquam negare ausus est: ergo aliquid causauit quomodocumque in humanitate Christi: sed id, quod causatum est de novo per vos nõ potest esse existentia Verbi diuini: ergo est actualitas essentia humanitatis; sed id, quod causatum est, eo modo, quod causatum est emanat à causa, & egreditur ab illa: ergo actualitas essentia humanitatis egressa est à causa ex vi causalitatis Beate Virginis: ergo est extra causas; sed id, quod est extra causas est existens: ergo actualitas essentia humanitatis vt distinguitur ab existentia Verbi est existens per se ipsam formaliter: ergo actualitas essentia est ipsa existentia sine distinctione à parte rei.

Tandem, quia licet Virgo sanctissima non produxerit humanitatem in genere causæ efficientis, nihilominus Spiritus sanctus produxit humanitatem, & ideo dicitur cooperante Spiritu Sancto, conceptam fuisse humanitatem, in qua cooperatione, & productione supplens Spiritus sanctus, & tota Trinitas concursus viti, vt late probo libris de generat. quæst. vtrum mas concurrat actiue ad generationem substantialem factus: atqui licet femina concurrat passiuè in sententia D. Thomæ, & Thomistarum, vt medio femine, concurrat actiue ad substantialem generationem per veram actionem, ac veram productionem, & efficientiam: ergo Spiritus sanctus totaque Trinitas per omnipotentiam vere, & proprie in genere causæ efficientis produxit (non existentiam Verbi, quia existentia Verbi, & Verbum diuinum neque producitur in genere causæ efficientis, neque villo modo producitur ab Spiritu Sancto, neque à tota Trinitate, sed solum Verbum diuinum quatenus tales, & quatenus secunda persona est, generatur à Patre) humanitatem Christi Domini, sed non secundum existentiam propriam, neque secundum actualitatem existentia: ergo secundum actualitatem essentia: ergo actualitas essentia producta est à Deo: ergo ex vi talis productionis in genere causæ efficientis posita est extra causas, vnde in genere causæ formalis ex vi termini talis productionis ponitur extra causas, sed terminus talis productionis est actualitas illa essentia: ergo actualitas illa essentia est formalis constitutio extra causas: ergo non distinguitur ab existentia, sed est ipsa existentia formalissima.

110 Ut Aduersarii fugiant hanc rationem, & superiores, asserunt, ideo dici humanitatem productam, creatam, & participatam à Deo, quia producitur vnio illa hypostatica, cui vnitur, ac proinde dicunt, incarnationem non esse actionem mere vnitiuam, sed productiuam etiam humanitatis, non in se, sed in Verbo; fundatur hæc opinio in verbis illis Leonis Papæ *epist. 11. ad Iulianum, ibi*. Natura nostra non sic assumpta est vt prius creata, post assumetur, sed vt ipsa assumptione crearetur.

111 Sed hæc solutio duplicem sensum potest habere, primum, humanitatem v. g. minime in se, id est secundum propriam actualitatem humanitatis produci à Deo, sed solum produci vnionem hypostaticam, ex cuius productione redundet denominatio productæ in ipsa humanitate; alius potest esse sensus, videlicet quod non solum producatur vnio per Incarnationem tanquam per vniam indiuisibilem actionem, sed etiam ipsa humanitas simul cum vnione, ita vt illa particula non in se non neget, vere produci humanitatem, dum tamen simul producatur cum vnione, sed solum neget, seorsim produci illam ex vi cuiusdam actionis distinctæ ab ipsa productione vnionis, vterque autem sensus est falsus & secundus, etiam si in se falsus sit, non est contra nos, nec soluit nostrum argumentum, sed potius corroborat veritatem illius vt patebit ex dicendis; quod autem primus sensus sit falsus quoad primam partem, patet ex iam dictis; quia humanitas vt distinguitur ab vnione hypostatica, est creatura, & non Deus: ergo immediate creatur, dependet, & participatur à Deo: ergo non solum producitur secundum vnionem; quod amplius demonstrant supradicta. Secunda pars illius primi sensus patet manifeste; Nam si esset verum quod ex vnione alicuius productæ, & creata redundaret denominatio productæ, & creata, sequeretur manifeste, Verbum diuinum vnium vere, & realiter humanitati esse creaturam, dependere, & fieri, nam etiam Verbum diuinum est, ad quod pertinet tanquam ad extremum vnium ipsa vnio non minus ac pertinet ad humanitatem; sed hoc est falsum: ergo falsum est dicere, humanitatem dici creatam, & productam, ex eo solum quod vnio ipsius sit producta, & creata.

112 Sequela sic probatur, Quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis, sed tota ratio formalis propter quam per vos humanitas dicitur producta & creata, est quia vnio, per quam vnitur Verbo, est producta, creata & dependens; sed ipsa vnio humanitatis ad Verbum est etiam vnio Verbi ad humanitatem, quia est nexus vtriusque, per quem non solum vnitur humanitas Verbo, sed etiam Verbum humanitati constituendo Christum intrinsecè: ergo datur in Verbo eadem ratio formalis, vt sit productum & creatum, sicut in humanitate: ergo dabitur eadem denominatio in Verbo, ac in humanitate, & sic ex hac vestra solutione sequitur hæc manifesta scilicet quod Verbum diuinum sit creatura.

113 Dices, talem denominationem non refundi in Verbum diuinum; quia Verbum diuinum est incapax talis denominationis.

114 Sed contra manifeste: ideo Verbum diuinum est incapax illius, quia licet vnio illa, per quam vnitur, dependeat, sit creatura, & producatur, Verbum diuinum in se nullo modo producitur per causam, dependet & creatur in suo esse; sed etiam humanitas in suo esse, & in se non producitur per vos, non dependet, neque creatur, etiam si producatur, creatur, & dependeat vnio illius: ergo supposita vestra

sententia incapax est humanitas, sicut Verbum recipiendi talem denominationem ab vnione; vnde nullo modo denominabitur creatura; nec creata, si in se nullo modo creatur, neque producitur etiam si producatur vnio; quare si non obstante incapacitate ad productionem, & independentia humanitatis à Deo in se ipso denominatur creata propter vnionem creatam; similiter Verbum denominabitur creatum, &c. quia non est maior ratio vnus, quam alterius.

Secundo contra, quia ex hoc sequeretur, hoc minem producentem vnionem inter animam rationalem, & corpus, quando generat filium, non solum producere totum illud compositum, sed etiam animam rationalem filij, & materiam primam, à fortiori quam humanitas denominetur producta propter vnionem hypostaticam, quia vnio hypostatica non est essentialis, nec essentialiter complet humanitatem, & vnio inter materiam, & formam est essentialis, & essentialiter complet vtrumque extremum, vnde ex vi talis vnionis constituitur vna essentia completa; & ex vi vnionis hypostaticæ constituitur Christus in esse suppositi; sed falsissimum est dicere, hominem generantem, & producentem filium producere animam rationalem, & materiam primam, quia anima rationalis, &c. à solo Deo per veram, & rigorosam creationem producitur, quam nec per potentiam Dei absolutam potest attingere creatura adhuc vt instrumentum in vestra sententia; ergo ex sola productione vnionis alicuius, si alias extremum vnium per illam non producitur in se, non refunditur denominatio producti, creati &c. sed humanitas in se non est producta, neque creata aut dependens: ergo ex eo quod vnio ipsius sit creatura producta, & dependens, non ideo denominabitur creata, & producta; sed secundum fidem humanitas Christi est creatura: ergo non solum producitur in vnione, sed etiam in se ipsa, & in propria actualitate essentia: ergo actualitas essentia est ipsa actualitas existentia.

Contra tertio, quia etiam vnio non potest produci in vestra sententia, quia in vnione illa & datur existentia, & datur actualis essentia, sed existentia vnionis non potest produci, quia existentia vnionis est existentia Verbi per vos, nam vt asseritis, humanitas, & vnio hypostatica existunt non propria existentia, sed existentia Verbi, & existentia Verbi est improducibilis de nouo in tempore per causam. Item essentia actualis vnionis sicut essentia actualis humanitatis, quia est omnino necessaria, & æternæ veritatis est improducibilis à se, & independens: ergo non producitur de nouo, ac proinde nihil vnionis producitur: ergo ratione illius non potest dici creatura dependens producta, & participata, quia si ratione vnionis diceretur talis, à fortiori diceretur producta, & dependens vnio, quia propter quod unum quodque tale, & illud magis, sed hoc non est rerum, vt probatur manet: ergo neque illud: vnde contra si essentia vnionis producitur in tempore de nouo, sine eo quod producatur eius existentia, quia per te est existentia Verbi: ergo essentia vnionis sola, & non eius existentia distincta de nouo ponitur extra causas, ergo essentia etiam vt distincta ab existentia vere efficitur, & sit ens actuale, quod est esse existens: ergo prout distincta ab existentia existit extra causas: ergo id non habet formaliter ab existentia, sed à seipsa, quod si id verum est in essentia vnionis, verum etiam erit in reliquis essentis.

Præcipue, quia multi ex aduersariis non admittunt ullam entitatem vnionis distinctam ab humanitate, & Verbo, sicut nullo modo concedere volunt

Quest. II. Vtrum essentia disting. &c. 23

inter materiam primam, & formam substantialem formalitatem vnionis distinctam ab eisdem, dicunt enim, ea esse vnita solum dicere humanitatem prout in Verbo, quod nullam dicit entitatem distinctam ab vtroque: ergo secundum hos nihil producit in Christo, siquidem neque producit humanitas neque Verbum diuinum; ac proinde neque vnio hypostatica potest produci, quia est idem quod humanitas improducta, & quod Verbum diuinum improductum; sed non potest negari, quod producat aliquid: ergo producit ipsa humanitas secundum actualitatem essentiae: ergo actualitas essentiae est actualitas existentiae.

SVBSECTIO. VI.

Secunda pars nostra impugnacionis probatur.

118 Primo ex D. Thoma qui ait 3. p. q. 4. art. 2. ubi inquit, illud, quod assumitur, debere præintelligi assumptioni; sicut quod mouetur localiter, præintelligitur motui: ergo humanitas Christi, quæ assumitur, præsupponitur assumptioni, ac proinde actio, per quam producit humanitas præsupposita, debet præsupponi Incarnationi, quæ est actio, per quam assumitur & per quam producit vnio hypostatica; sed quidquid præsupponitur alteri realiter, distinguitur ab illo, cui præsupponitur: ergo actio productiua humanitatis distinguitur ab Incarnatione: ergo non sunt vna, & indiuisibilis actio. Confirmat amplius D. Thomas hoc *ibidem* q. 6. art. 3. ubi ait, animam Christi eodem modo, & eodem genere actionis esse creatam, quo alia anima rationales, & ita etiam indicat, quamuis eodem instanti fuerit creata & assumpta, prius tamen natura, & diuersa actione fuisse creatam, & eadem *quest.* art. 4. ad 3. dicit, carnem prius naturæ vniri animæ, quam Verbo, vnione personali; vnde sentit conceptionem humanitatis esse priorem, & distinctam actionem ab vnione & vnitione humanitatis ad Verbum, quod in illa questione sæpius repetit; idem sentit in 3. dist. 5. q. 3. art. 1. ad 2. ergo in sententia D. Thomæ non potest dici per vnā & indiuisibilem actionem produci humanitatem, & vnionem ad Verbum.

119 Ratione sic demonstratur; quia actio naturalis & supernaturalis distinguuntur realiter; sed creatio & productio animæ rationalis Christi, & humanitatis est actio naturalis eiusdem ordinis, & rationis cum creatione alterius animæ & cum productione alterius humanitatis, & vnitione, Incarnatio, seu productio vnionis hypostaticæ est actio quoad substantiam supernaturalis, quia terminus productus per illum est vnio supernaturalis quoad substantiam; ideo enim productio gratiæ habitualis, & productio charitatis, luminis gloriæ & visionis Beatificæ est supernaturalis intrinsecè quoad substantiam, quia terminus productus per illam est supernaturalis intrinsecè; si igitur vnio hypostatica quæ producit per incarnationem est supernaturalis intrinsecè, ipsa similiter Incarnatio erit intrinsecè supernaturalis; ergo illæ actiones distinguuntur realiter.

120 Secundo, quia creatio animæ assumptæ est productio ex nihilo; incarnatio vero, vel vnio humanitatis ad Verbum est mutatio, vel actio ex præsupposito subiecto: ergo sunt distinctæ actiones. Vergetur; nam licet verum sit, vnā, & eandem esse actionem, quæ accidens fit & vnitur subiecto, tamen sicut in accidente in facto esse distinguimus entitatem accidentis ab actuali inhaerentia, ita necesse est, vt in ipsa actione distinguamus illam actionem, vt tendit ad entitatem, vel ad vnionem acci-

dentis; quia actio nihil aliud est, quam fieri vt est ab agente ipsius rei; sed similiter in humanitate, & anima rationali distinguitur entitas illarum à substantia eis debita, & ideo separantur ab illa, & ab vnione hypostatica, quæ de facto datur in illis: ergo fieri earum, & actiones distinguuntur.

Tum etiam, quia ut certum est, non potest intelligi Verbum terminare animam, vt erat ab æterno in potentia; sed vt est aliquid iam factum: ergo alia actio est, per quam anima fit, & alia per quam vnitur, vt terminetur à Verbo, & idem proportionaliter est de tota humanitate. Prima vero, & Secunda consequentia probantur; quia per illam creationem fit aliquid esse in ipsa anima, & non fit esse essentiae, vt condistinguitur ab esse existentiae, quia vt sic non est esse nouum, sed æternum, quia reuera tantum esse in potentia est, seu possibile: est ergo esse existentiae creatum, cum per creationem fiat; quod manet in ipsa anima Verbo vnita; non enim potest perdere per assumptionem illud esse, quod per creationem habuit, alias non possent creatio, & assumptio simul esse in eodem subiecto, & in eodem instanti, quod est falsum: ergo falsum est dicere, per vnā & eandem indiuisibilem actionem produci humanitatem, & ipsam vnionem, per quam vnitur Verbo.

Sed supponamus hoc esse verum, nihilominus non infringit nostram rationem supra positam, sed potius confirmat tertiam, & vltimam partem nostræ oppugnationis, quia ex eo quod humanitas producat simul cum vnione per vnā actionem non desinit vere produci in se ipsa, idest secundum actualitatem essentiae: ergo actualitas essentiae humanitatis est terminus formalis productionis simul cum vnione: ergo talis actualitas est id, per quod formaliter essentia humanitatis ponitur extra causas, sicut actio, per quam producit talis actualitas est ratio in genere causæ efficientis extrahendi humanitatem extra causas; sed actualitas ponens rem extra causas formaliter est actualitas existentiae: ergo actualitas essentiae est ipsa actualitas existentiae: ergo solutio hæc in secundo sensu explicata non infringit nostram veritatem sed potius confirmat illam.

Confirmatur amplius hoc; quia huic actualitati essentiae humanitatis, & cuiuscunque essentiae conueniunt sine dubio omnia prædicata, & conditiones, quæ attribuantur existentiae, imo illa omnia, propter quæ aduersarij omnes existimant, existentiam distingui ab essentia à parte rei: ergo talis actualitas essentiae est vera existentia. Antecedens sic probatur. Primo enim hæc actualitas essentiae non est æterna, sed temporalis, nam vt demonstratum manet *disp. de possibilitate, & supra in hac questione*; creatura ab æterno nullum esse actuale positum habuerunt; sed esse actuale essentiae est quid positum actuale à parte rei: ergo tale esse actuale essentiae est temporale, & non æternum; nam licet essentia dicatur ab æterno, & propositiones essentialis dicantur æternæ veritatis; & verificentur similiter ab æterno; nihilominus nec essentia dicitur ab æterno ratione alicuius actualis entitatis positæ, nec propter aliquam formalitatem positam actualem habent suam veritatem tales propositiones, cum vere ab æterno talis essentia nullam huiusmodi actualitatem habeat secundum nostram fidem catholicam, vt *ibidem* declarauimus, sed solum ratione possibilitatis propriæ essentiae, quæ perit vt animal, quando producit, coniungatur cum rationali si producendus est homo, & sic de reliquis dicitur vera hæc propositio, homo est animal rationale, quod per hanc propositionem conditionalem explicat. Patet. Suarez.